cia dos anime est comprehensio que est tentio visi
et amati vel est veri et boni premii. Et istud
tamen est proprie comprehendere secundum quod sancti dicunt attingere
et non complecti divinam immensitatem.

De dotibus corporis in genere. xxvi.

Unaquaeque pars
habet esse perfectius in suo toto
quam per se. Unde sicut anima nec a cor-
pore corruptibili separata perfectius habet esse
quam ei coniuncta, sic in futuro reconiuncta corpori
incorruptibili perfectius habebit esse quam nunc separa-
ta. maxime cum non impediatur tunc a corpore sicut
nunc. quoniam post de glorificatione habeat tunc gau-
dium spirituale. ¶ Dotes corporis sunt iiii. quarum
numerus sic habetur. Nam ad hoc quod corpus perfecte
subiectum sit anime ne eam impediat in operibus
glorie. iiii. requiruntur. quorum duo pertinent ad
sensum. alia duo pertinent ad motum. Quo
ad sensum duo requiruntur. Unum ut sit fa-
cile receptibile specierum sensibilium. ad quod
disponit claritas. Alterum ut non sit recep-
tibile passionum ignobilium. ad quod dispo-
nit impassibilitas. Quo ad motum duo etiam
requiruntur. Unum est ut per propriam inclinationem
non resistat suo motori. ad quod disponit a-
gilitas. Aliud est ut corpora per que move-
tur non resistant ei. ad quod disponit sub-
tilitas. ¶ Alia sufficientia talis est quia in homine
quadruplex est complexio. Prima est equalitatis contrariorum.
hec complexio tunc erit perfecta quando qualitates ita
equantur ut nulla pugnet contra aliam. et hoc
faciet impassibilitas. ii. est complexio materie cum forma.
hec autem complexio est perfecta quando materia tota vin-
citur a forma. penes hanc perfectionem sumitur
subtilitas. iii. complexio corporis est organici cum
anima. Perfectio istius complexionis est quod omnia organa
sine impedimento sunt mobilia ab anima. pe-
nes hanc perfectionem sumitur agilitas. iiii. complexio
est corporis cum spiritibus lucidis quibus mediantibus corpus
ab anima. et huic complexioni secundum perfectum statum re-
spondet claritas. ¶ Tertio sumitur numerus
predictorum secundum proprietates que sunt in elementis. Nam pe-
nes aque transparentiam sumitur claritas. pe-
nes terre soliditatem sumitur impassibilitas.
Penes subtilitatem ignis sumitur subtilitas.
Penes mobilitatem aeris sumitur agilitas.
¶ Quarto sumuntur dotes secundum iiii. defectus quos
habet humanum corpus a iiii. elementis de quibus
componitur. Habet enim corpus humanum ab igne calidi-
tatem et inde nigredinem. A terra grossiciem.
Ab aere passibilitatem. Ab aqua frigiditatem
et inde tarditatem. Sed ista tolluntur per iiii.
dotes corporis. ¶ Christus assumpsit iiii. dotes
corporis ante passionem suam sicut ait Hugo de sancto
Victore. Claritatem in transfiguratione. Agilitatem cum
ambulavit super mare. Subtilitatem in nativitate quia
salva virginali integritate matris natus est.
Impassibilitatem in cena quando corpus suum
discipulis manducandum dedit.

De dotibus corporis in speciali. xxvii.

Prima dos cor-
poris est claritas. Sed notandum quod aliquid dicitur
clarum dupliciter. Aut quia purum sicut
dicitur vitrum clarum. Aut quia lucidum sicut dicitur
stella clara. Corpus autem glorificatum est purum
et lucidum. unde utroque modo erunt clara cor-
pora. Duo enim sunt que nunc causant obscuritatem
in humano corpore. Unum est materie impuritas. Alte-
rum est luminis paucitas. Tunc vero tollentur utrum-
que scilicet illa impura densitas et obscuritas que ex
modicitate luminis est. et ideo erunt corpora cla-
rissima. ¶ Nota quod corpora glorificata sep-
ties tantum erunt clara sicut modo sol. quia dicit
dominus quod iusti fulgebunt sicut sol. Sed teste
Ysaia erit lux lune sicut lux solis et lux so-
lis septempliciter sicut lux septem dierum. Sciendum
autem quod corpora sanctorum non equaliter erunt clara.
quia melior sanctus corpus habebit lucidius. Unde